MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81235-7

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

SOROF, FR. GUSTAV

TITLE:

VINDICIAE TULLIANAE

PLACE:

POTSDAM

DATE:

1866

Master Negative #

93-81235-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books        FUL/BIB   NYCG93-B1515            Acquisitions     NYCG-LNF
Record 1 of 0 - SAVE record
UNI
  ID:NYCG93-B1515                RTYP:a    ST:s    FRN:    MS:   EL:      AD:02-19-93
  CC:9668  BLT:am       DCF:?   CSC:?   MOD:    SNR:        ATC:         UD:02-19-93
  CP:gw      L:ger      INT:?   GPC:?   BIO:?   FIC:?       CON:???
  PC:s      PD:1866/             REP:?   CPI:?   FSI:?       ILC:????     II:?
  MMD:       OR:    POL:     DM:     RR:         COL:        EML:       GEN:    BSE:
  040      NNC‡cNNC
  100 1    Sorof, Fr. Gustav.
  245 10   Vindiciae Tullianae‡h[microform].
  260      Potsdam,‡bKramer,‡c1866.
  300      22 p.
  LDG      ORIG
  QD       02-19-93
```

Re

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13.5X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 3-31-93 INITIALS JAMES

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

87CE No.6
Z8

Bericht

über das

Gymnasium zu Potsdam

für das

Schuljahr 1865—1866.

Inhalt:

1. Vindiciae Tullianae. Vom Conrector Dr. Fr. Gustav Sorof.
2. Schulnachrichten. Vom Director Dr. Friedrich A. Rigler.

Potsdam, 1866.

Gedruckt bei C. Krämer.

Go.2.

Postea quam ad Ciceronis de oratore libros emendandos codices e mutilis vetustissimi, Abrincensis et Erlangensis **1**, diligentius conferri et a viris doctis via ac ratione adhiberi coepti sunt, multis locis veram scripturam in codd. recentioribus librariorum temeritate depravatam esse apparuit. Nam quamquam codicem Laudensem, e quo illi manarunt, et vetustiorem mutilis fuisse et totum descriptum esse verisimile est, ut in eis quoque partibus, quae iam ante saeculum XV. vulgabantur, suam quandam recentiores habeant auctoritatem, illud tamen negari non potest, qui illum codicem primum describeret, eum quae vitiose aut parum dilucide scripta invenisset aut quae minus ipsi probabilia viderentur, ita omnia e consuetudine illius aetatis correxisse, ut commoditati potius legentium quam veritati et religioni consuleret. Quo factum est ut mutilorum demum subsidio et menda ab antiquissimis temporibus propagata detegerentur, quibus detectis rectior emendandi via iniri posset, et non pauca Ciceroni restituerentur, quae praeter necessitatem mutata essent. Quod cum ex multis locis, tum ex eis cognoscitur, qui glossematis a librariis antiquitus adiectis corrupti sunt; nam quae ut interpretandi causa ab illis addita e verbis Ciceronis expellenda videantur, eorum longe plurima et vetustiorum et recentiorum codicum communia sunt. Sed in mutilis ea minus oblitterata sunt et obscurata, ut interpolatoris manus certius dignosci possit, in quo genere illud est, quod in Philol. XXI. p. **657** significavi librariis deberi I. **14**, **62**: ***tum eloquentia vincebat ceteros medicos;*** addo exempli causa I. **7**, **28**, ubi perperam e recentt. hodie quoque a quibusdam scribitur: ***Postero autem die, cum illi maiores natu satis quiessent, in ambulationem ventum esse dicebat: tum Scaevolam duobus spatiis tribusve factis dixisse*** cet; nam ***dicebat*** non Ciceronis esse ex eo perspicitur, quod in Erl. (antiquiorem illum saeculi decimi intellego, qui, quoniam alter ex eo descriptus est, solus qui conferatur dignus videtur) haec reperiuntur: ***cum illi maiores natu satis quiessent et in ambulationem ventum esset***, quam scripturam multo probabiliorem esse ipsa sententia convincitur, si quidem matutina illa ambulatione Crassus ceterique, qui cum eo erant, non minus quam quiete ipsa adsueti videntur fuisse, ut nulla causa fuerit cur eam Cicero tamquam maius quiddam a quiete seiungeret et pari vi atque Scaevolae orationem efferret. Eis autem, quae in Erl. et Abr. ceterisque mutilis plurimae reperiuntur, lacunis non licet in hanc opinionem adduci, ut, quae earum loco recentiores praebeant, librariis tribuenda esse existimemus; nam multa eorum propter verborum litterarumve similitudinem omissa esse nemo non facile intelleget, quam ob rem I. **26**, **122** retinendum censeo, quod olim vulgabatur: ***fuit enim mirificus in Crasso pudor, qui tamen non modo non obesset eius orationi, sed etiam probitatis commendatione prodesset.*** Nam cum ***non modo*** absit ab Erl., in eodem tamen legitur ***sed etiam***, unde non iniuria coniligere videor ***non modo*** propterea, quod ***non*** subsequitur, omissum esse. Nec mo-

veor eo, quod a Gu. 3 et a Lg. 2, 13, 36 illud ipsum *etiam* abest, in quibus aut de industria factum est ut omitteretur, aut errore, velut in Gu. 3 hoc uno loco, ni fallor, *set* (non *sed*) scriptum est, ut iure aliquis in eo latere *sed etiam* coniciat. Verum non paucis locis ea quoque in mutilis desiderantur, quae librarius archetypi eius, ex quo mutili omnes profecti sunt, non oculorum errore deceptus, sed sola temeritate et imprudentia animi ductus praetermiserit, velut I. 22, 29 e verbis his: *nam me quidem fateor semper a genere hoc toto sermonis refugisse et tibi cupienti atque instanti saepissime negasse, ut tute paulo ante dixisti* in Erl. et non nullis aliis codd. *fateor semper* et *ut* (hoc quidem propter proximum vocabulum *tute*) omissa sunt, ut, si quis ceterarum, quae in his libris sunt, lacunarum immemor locum illum emendare velit, facile possit eam opinionem mente comprehendere, ut scribendum censeat: *nam me quidem semper a genere — negasse, iure paulo ante dixisti.* Eadem imprudentia librarii factum est ut singula verba, quae minus perspicue in archetypo scripta essent, mirum in modum corrumperentur, in quo genere nunc quidem illud numero, quod in Erl. mendose sic scriptum est I. 8, 32: *quid autem tam necessarium, quam tenere semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis vel provocare integros vel te ulcisci lacessitus?* Quo loco cum diu multumque vexatus essem, postea quam multa in eodem cod. mirabilia inveni, eo adductus sum, ut pro *improbos*, quod in recentioribus est, cum praesertim id parum plane scriptum esset, a stolido aliquo aut neglegenti librario *integros* poni potuisse statuerem. (*) Nec vero desunt in codd. illis emendationum dedita opera factarum vestigia, atque in Erl. quidem paulo plura quam in Abr., qua re quod Kayser. II. 6, 25 ex uno Erl. recepit *non ignoramus* pro *noramus* in his: *hic fuit enim, ut noramus, omnium fere nostrorum hominum doctissimus*, num recte fecerit vehementer dubito. Quam igitur viam, cum tot omnes codd. mss. omnis generis mendis inquinati sint, ineundam ei esse censebimus, qui

*) Cum haec a me iam scripta essent, vir quidam doctus hoc mecum communicavit, sibi meliorum librorum scripturam ita videri quodam modo defendi posse, si pro *integros* scriberetur *integer*, cui tamquam contrarium proximum illud *lacessitus* responderet. Quod quidem propterea displicet, quia, etiam si quis lacessitus sit, fieri tamen potest ut integer maneat, quando quidem *integer* (ὁλόκληρος) is dicitur, cui nihil detractum est aut deminutum, non is, in quem impetus factus nullus est aut quem nemo adortus est, unde patet vocabula illa opponi inter se tamquam contraria nullo modo posse. Sed ut hoc per Latinitatem fieri liceat, restat tamen illa difficultas, quod, cum antecedant haec: *quibus vel tectus ipse esse possis*, e quibus *tectus* nihil fere differret ab illo *integer*, hoc Adiectivum otiosum admodum et languidum esset, ut nihil dicam de eo, quod Pronomine praegresso *ipse* necessario designatio quaedam aliorum hominum requiritur, qui, quoniam de ope ferenda Cicero proximo superiore loco disputavit, non possunt nisi illi ipsi esse, qui ab oratore lacessuntur. Similiter, sed ita tamen, ut Latinitati magis consuleret, Müllerus pridem excudi iussit: *vel provocare integer improbos*, quam coniecturam, quia ne sic quidem apparet iustam Ciceroni causam fuisse, cur *integer* adderet, praeter Klotzium in ed. I. iure nemo amplexus est. Maneat ergo haec totius loci interpretatio, ut orator primo loco vix ab ullo ipse peti adversario, altero, etiam insectari ultro eos, qui, eum illi nocere et possint et cupiant, provocando quodam modo frangendi videantur, tertio si forte tamen ab aliquo petatur, se ulcisci facile posse dicatur. Atque commode Pearcius contulit in Cat. III. 12,28: *Est etiam in nobis is animus, Quirites, ut non modo nullius audaciae cedamus, sed etiam omnes improbos ultro semper lacessamus.* Eandem sententiam Kayserum secutum video, cum dubitanter sane *iniurios* scribendum esse suspicaretur, unde tamen vix facilius *integros* oriri quam ex *improbos* potuit. Quod autem Bakius deleto illo Adiectivo unum *provocare* retinendum esse censuit, eo et oratio et sententia manca quodam modo efficitur, si quidem et propter aequabilitatem membrorum adiciendum ei verbo aliquid videtur, et, quod mox subsequitur *lacessitus*, quo

libros illos Ciceronis praestantissimos emendare atque ad formam quam fieri possit verissimam redigere consilium ceperit? Nimirum ei non in uno codice aut in alterautra codicum familia acquiescere licebit, sed utrumque fontium genus adhibeat necesse erit, ut quid ubique ad verisimilitudinem proxime accedat et a mendi suspicione librariorumque libidine maxime abhorreat, et e codicum natura et e Ciceronis loquendi consuetudine diiudicetur. Nec tamen non poterunt in eis partibus, quae utroque fontium genere continentur, codd. mutilis ut vetustioribus priores tribui, quia deperdito cod. Laudensi, quem constat ab homine satis erudito primum transcriptum esse, quid ab eo retentum mutatumve sit, divinari potius quam pro certo statui licet.

Quam rationem quamquam viri docti, qui his temporibus libris illis emendandis operam dederunt, fere secuti sunt, non nulla tamen reliquerunt, quae ex codd. mutilis recipienda esse aut ex vestigiis eorum emendari posse videantur. E quibus cum quaedam proferam, pauca etiam attingam, quae aut contra libros mss. scribenda aut falso a viris doctis contra codicum auctoritatem recepta aut denique, cum pridem iam reperta essent, iniuria spreta esse existimem.

I. 3, 11. *Atque in hoc ipso numero, in quo perraro exoritur aliquis excellens, si diligenter et ex nostrorum et ex Graecorum copia comparare voles, multo tamen pauciores oratores quam poëtae boni reperientur.* H. l. Kayserus *in*, quod est ante *hoc ipso numero*, et mox *quam poëtae* eicienda censuit, quam coniecturam ipse olim amplexus sum, quod videram oratores in poëtarum inesse numero dici non posse. Iam postea quam huius loci rationem iterum consideravi, ne sic quidem omnem difficultatem tolli intellexi, quia cum poëtarum numero — nam id unum verbis illis, quae sunt *atque in hoc ipso numero*, significari potuit — oratores *boni* parum apte conferrentur, ut nunc quidem ab ipso Cicerone orationem turbatam esse eamque perturbationem ab interpositis verbis excusationem habere existimem. Etenim cum scribere voluisset *atque*

causa continetur ulciscendi, tale quid requiritur, quo potissimum orator commotus suo iure alios provocare videatur. Itaque cum neque *integros* aut *integer* defendi ullo modo possit et Obiectum aliquod addi necesse fuerit, hoc quidem loco deteriores codd. sequamur oportet atque meliorum scripturam socordia quadam ac stupore librarii eius, qui archetypum mutilorum confecit, ortam esse statuamus. Neque opus videtur ad Pideritii rationem paulo argutiorem confugere, quia fieri facile potuit, ut librarius *improbos* adeo aut siglis obscuratum aut mendose scriptum inveniret, ut nisi attento animo verum exquiri non posset. Multa autem huius modi neglegentiae vestigia in codd. mutilis deprehenduntur, velut in Erl. I. § 22 pro *abundantes partitionem quandam artium fecisse video* omissis postremis duobus vocabulis sic scriptum est: *habundantes vel post actionem iam quandam artium*, ortum sine dubio ex infelici coniectura, quod mendum postea ab ipso librario animadversum et subducta linea indicatum est; § 32 *exercitare* pro *excitare*; § 37 *coniugia* pro *conubia*, nam *coniugia* verum esse non potest, quoniam h. l. Romanorum cum Sabinis inita matrimonia iusta fuisse vel maxime significari oportuit; § 38 *quamvis nunc tenuem* m. pr. pro *quam nunc vix tenemus*; § 43 *necaret* pro *negare cogeret*: § 48 *morum* pro *moris*, quod recte Kayserus retinuit, eis, credo, commotus, quae paulo post leguntur: *neque natura hominum incognita ac moribus*; nam aliud est § 39: *leges veteres moresque maiorum*, h. e. qui maioribus fuerunt, cf. Tusc. disp. IV. 1,1: *de moribus institutisque maiorum*, cum instituta patria et a maioribus quasi hereditate accepta ex Ciceronis quidem loquendi consuetudine Singulari fere illius vocabuli numero designentur; nec vero hoc refellitur aut illo loco, quem Klotzius in prooem. edit. 2. p. IV. affert, de leg. II. 10, 23: *non multum discrepat illa constitutio religionum a legibus Numae nostrisque moribus*, aut eo, qui est de or. III. 20, 76: *eadem (vis eloquentiae) mores, leges, iura describat*; cf. ibid. 20, 74: *cui disciplina fuerit forum, magister usus et leges et instituta populi Romani mosque maiorum.* Sed redeo ad codicem Erl. eiusque vitia scripturae: I. § 67 *domo* pro *modo*, ut saepius, cf. II. 1, 2, ubi

in hoc ipso poëtarum numero multo plures egregii reperiuntur, quam sunt oratores boni, quia *paucitatem* potissimum oratorum pressit (cf. § 7 s. f., § 8 s. f.), ut eodem vocabulo uteretur, orationem ita invertit, ut extrema primis parum responderent. Quibus rationibus ductus ne Bakio quidem adsentior, qui commendavit: *Atque hunc ipsum numerum — si — comparare voles*, et *egregiorum*, quod proxime antecedit, eiciendum censuit, quod quamquam Cicero scripsit, quia subiecit: *in quo perraro exoritur aliquis excellens*, quo modo illa intellegenda sint: *atque in hoc ipso numero*, dubitare nemo potest.

I. 6, 20. *Etenim ex rerum cognitione efflorescat et redundet oportet oratio; quae nisi sit ab oratore percepta et cognita, inanem quandam habet elocutionem ac paene puerilem.* Haec optimorum et plurimorum codd. scriptura quoniam ne intellegi quidem potest, fuerunt qui corrigerent: *quae nisi sint* cet., ut Pronomine *quae* res significarentur et Subiectum verborum extremo loco positorum *oratio* esset; quae verborum structura quibus durior visa est, ei ad antiquam Aldi emendationem redierunt, qui ex § 50 scribi voluit: *quae, nisi subest res ab orat.* cet. (aut: *cui nisi s. r.*), ad sententiam satis probabiliter, sed quod longius recedat a librorum vestigiis; Kayserus totum hoc: *quae — puerilem* eiciendum existimavit, credo, quod, cum supra omnium rerum magnarum artiumque scientia postularetur, mox de angustiore certae cuiusdam orationis argumento cogitari ineptum illi visum est. At idem ordo sententiarum § 48 reperitur, ubi, postea quam oratori aut omni doctrina aut certe omnium rerum publicarum legumque et iuris scientia opus esse expositum est, haec subiciuntur: *Dicendi enim virtus nisi ei, qui dicet, ea, de quibus dicet, percepta sint, exstare non potest*, quae item, nisi fallor, de proprio cuiusque causae argumento accipienda sunt. Hoc autem loco, de quo nunc disputo, ab omnium rerum magnarum scientia ad eius rei, quae certae alicui causae subiecta sit, cognitionem transitus quodam modo illis verbis praeparatur: *Etenim ex rerum cognitione efflorescat et redundet oportet oratio.* Quam ob rem nescio an levissima medela locus sic sanandus sit: *quae, nisi sit ab oratore res percepta et cognita cet.* Cf. II. 24, 104: *Cum rem penitus causamque cognovi;* ibid. 27, 114: *Cum igitur accepto causae genere cognitam rem tractare coepi*, al. *Res* enim, quod idem vocabulum in codd. mutilis I. § 64 intercidit, quin universe dici potuerit pro eo, quod cuivis orationi argumentum subiectum sit, vix quisquam dubitabit, nec minus scribi licuit orationem inanem habere elocutionem, h. e. verborum pronuntiationem, si quidem oratio efficitur et verbis et sententiis. Denique

---

recte Pideritius vulgatam defendit; § 73 *oratoribus* pro *orationibus*: § 85 *moderatae* pro *moratae*; § 86 *querebatur* pro *quaerebat*: § 87 *velit* pro *vellet*, sicut § 74 *velim* pro *vellem*, § 8 *possint* pro *possent*; porro § 86 *morigerentur* m. pr. pro *moverentur*: § 89 *negasse* pro *negare*; § 91 *scisse* pro *scire*; ibid. *indui* m. pr. pro *inludi*; § 92 *continetur* pro *contineretur*; ibid. *conscientia* pro *non scientia*; § 93 *perpugnantem* pro *perpugnacem*; § 97 *studuisti* m. pr. pro *docuisti*; § 98 *excitabit* pro *excidit*; § 102 *extende* pro *ex te, de*; § 105 *catilinae näq*; pro *cantilenam*: § 106 *denique* pro *decet neque*; § 109 *define* pro *definitione*; § 111 *oratorum* pro *togatorum*; § 115 *electi* pro *ficti*; § 116 *indicet* pro *in dicente*; § 117 *omnino* pro *homini novo*; § 118 *cumulandus* pro *cumulatus*; § 119 *etiam quoque optime dicunt qui me infacillime* pro *etiam qui optime dicunt quique id facillime.* Plura etiam ex altero et tertio libro afferri possunt, sed ex his ipsis satis, opinor, intellegetur librarium eius archetypi, ex quo et Erl. et Abr. manaverunt, multo magis ad litterarum ductus quam ad verborum vim atque sententiam animum attendisse, unde tamen hoc efficitur, maiorem multis locis fidem codicibus mutilis quam recentioribus habendam esse, in quibus cum eius modi menda sublata, tum vero non numquam ipsius Ciceronis verba corrigendi libidine obscurata ac depravata sunt.

quod verbis proximis scriptor ad ea redit, quae supra exposita sunt, id quidem post degressionem illam fieri et potuit facile et debuit, si ei, quae supra disputaverat, aut accuratius explicanda aut restringenda quodam modo esse viderentur.

Paulo post § 21 scribendum ex Erl. censeo: *quamquam vis oratoris professioque ipsa bene dicendi hoc suscipere ac polliceri videtur*, non *videatur*, quod in codd. deterioribus et apud Quintilianum legitur; nam huius quidem auctoritatem recte Ellendt. eo extenuavit, quod e memoria pleraque afferens suae aetatis consuetudinem dicendi secutus sit, in illis autem facile Coni. simili vitio oriri potuit, atque illud est, quod in Erl. reperitur, ubi scriptum est: *quamvis* pro *quamquam vis*, velut in hoc ipso libro § 58 pro *quamquam* in eodem Erl. est *quam*, quo facto *videatur* sane quam scribendum fuit. Postea vero, cum mendum illud animadversum esset et sublatum, Coniunctivus in libris resedit.

Ibid. codicis Erl. scripturam: *non quo illa contemnam* praeferendam ei censeo, quam libri recentiores exhibent *non quod i. c.* Nam et h. l. et infra I. § 84 *quo* a librariis non nullis mutatum est in id, quod ipsis usitatius esset. Contra I. § 99 propter eiusdem cod. auctoritatem scribendum erit: *neque quod tuo studio — non obsequi vellem;* hoc enim loco *quod* propter vocabulum proximum *tuo* facile depravari potuit.

I. 11, 48. Quod in Erl. legitur: *Nam si quis hunc statuit esse oratorem, qui tantummodo in iure aut in iudiciis possit aut apud populum aut in senatu copiose loqui, tamen huic ipsi multa tribuat et concedat necesse est*, iniuria a recentioribus mutatum est in: *qui tantum modo in iure et in iudiciis possit* cet. Nam quamquam ius et iudicia totum quiddam efficiunt et quod contrarium sit eis, quae subsequuntur, tamen eadem illa inter se ipsa discrepant, nec desunt loci similes, ubi et genera et generum partes eadem Particula disiunctiva inter se conexa sint, velut I. 9, 35: *ne aut de C. Laelii, soceri mei, aut de huius generi aut arte aut gloria detraham*, ibid § 36: *Quis enim tibi hoc concesserit, aut initio genus humanum — saepsisse, aut vero reliquas utilitates aut in constituendis aut in conservandis civitatibus — esse constitutas;* II. 12, 49: *Quid, si — mandata sint exponenda, aut in senatu ab imperatore aut ad imperatorem aut ad regem aut ad populum aliquem a senatu* cet; III. 30, 118: *Quae vero referuntur ad agendum aut in officii disceptatione versantur — aut in animorum aliqua permotione aut gignenda aut sedanda tollendave tractantur.* Alia Ellendt. ad I. 9, 35 attulit.

I. 11, 50. *Et enim videmus eisdem de rebus ieiune quosdam et exiliter, ut eum, quem acutissimum ferunt, Chrysippum, disputavisse neque ob eam rem philosophiae non satis fecisse, quod non habuerit hanc dicendi ex arte aliena facultatem.* Quia in Erl. postrema sic leguntur: *quod non habuerit in hac dicendi arte aliena facultatem*, Praepositionem *in* suspicor ortam esse ex syllaba *int* post *habuerit* posita, qua vera scriptura indicaretur; constat enim codices multa saepe menda eo contraxisse, quod vera scriptura falsae subiecta esset, velut in Erl. est I. 16, 70: *verborum autem licentia uberior liberior:* 19, 85: *varietate rerum atque copia omi. Senis enim*, h. e. omnis enis enim. Qua re nescio an illo loco scribendum sit: *quod non habuerint hanc dicendi ex arte aliena facultatem.* Nam ut Praedicatum proximo Substantivo *Chrysippum* accommodari potuit, ita quo minus ad remotius Subiectum *quosdam* referretur, quod ipsum principem obtinet locum, nihil certe prohibuit.

I. 12, 53. Librorum scriptura: *Quae, nisi qui naturas hominum — penitus perspexerit, dicendo quod volet perficere non poterit* mihi servanda ita videtur, ut Subiectum ex superioribus *vis oratoris* intellegatur (cf. p. Caec. 16, 46: *omnis enim vis est, quae periculo aut de-*

cedere nos alicunde cogit aut prohibet accedere; de or. II. 20, 76) cui interpositis illis: *nisi — perspexerit* in scriptoris mente facile quasi substitui ipse *orator* potuit. Nam quod Pronomen ad vocabulum remotius referatur, id offensionis nihil habere cum aliis tum exemplis eis efficitur, quae Wesenberg. ad Cic. Tusc. disp. I. 1, 3 conlegit. Sed addendum praeterea erit *si* post *nisi*, ut sit: *nisi si qui — perspexerit*. Cf. ad II. 15, 65.

I. 12, 54. Vehementer dubito num contra codices fere omnes, in quibus est Erl., recte hoc vulgetur: *quod saepe iam dixi;* nam in illis est *dixeram*, quod quamquam propter vocabuli proximi *oratio* primas litteras διττογραφίᾳ effici potuit, tamen similiter Plusqupf. positum est Brut. 42, 157: *Hic Atticus, dixeram, inquit, a principio, de re publica ut sileremus;* de or. II. 7, 28: *praecisa mihi quidem est dubitatio, quoniam neque domi imperaram et hic — facile promisit;* II. 47, 197: *Quamquam te quidem quid hoc doceam, qui in accusando sodali meo tantum incendium — concitaras, ut ego ad id restinguendum vix conarer accedere?* II. 58, 237: *quatenus autem sint ridicula tractanda oratori, perquam diligenter videndum est, id quod in quarto loco quaerendi posueramus.* Ac potest omnibus his locis Plusquamperfectum ita explicari, ut aliquid cogitatione quodam modo requiratur et intellegatur, quo illud referri oporteat, velut eo loco, unde profecti sumus, intellegi facile potest: *quod saepe iam dixeram, antequam ad hunc locum deveniremus.* Cf. Reisigii Vorles. über Lat. Sprachw. not. 456.

I. 15, 65. Hodie sic fere vulgatur: *tamen illud tenebo, si, quae ceteris in artibus aut studiis sita sunt, orator ignoret tantumque ea teneat, quae sint in disceptationibus atque in usu forensi* cet. At in Erl. non est *in artibus aut studiis*, sed a m. pr. *in artibus aut que studiis*, unde recte manu altera factum videtur *atque*, quod in Gu. 3 quoque legitur, unde idem olim in Abr. fuisse suspicor. Idque et sententia commendatur, quia artes et studia propter cognationem quandam notionum arctius coniungenda, non disiungenda fuerunt, et orationis aequabilitate, quia eodem modo infra dicitur: *in disceptationibus atque usu forensi;* sic enim legendum esse, non *atque in usu forensi* pridem Ellendtius et codicum auctoritate commotus et ratione probabili usus docuit, nec video cur recentiores eum non secuti sint. Restat ut moneam, quod Bakius de coniectura posuit *quae sunt in disceptationibus* pro *quae sint*, id Erlangensem quodam modo tueri, in quo *sint* ab eadem manu vetere in *sunt* correctum est.

I. 18, 82. Iure Henrichsenius Praepositionem adscivit in his: *pro se quisque quae poterat de officio et de ratione oratoris disputabat*, nam in Erl. quoque est *et de ratione*, quod neminem offendet, qui comparaverit II. 10, 41: *quoniam nobis est hic, de quo loquimur, in foro atque in oculis civium constituendus;* ibid. 27, 116: *altera est, quae tota in disputatione et in argumentatione oratoris conlocata est*, alia multa. Ac nescio an etiam magis necessarium sit illud *de officio et de ratione oratoris*, quam quod postremum attuli: *in disceptatione et in argumentatione*, quia illa maiore quam haec dissimilitudine discrepare inter se videntur. Itaque hoc valebit praeceptum, ut Praepositio ne omittatur umquam, ubi verba disiungi necesse sit, at ubi propter notionis quandam cognationem arctius coniungantur, ut Praepositionem altero loco addi omittive liceat.

I. 20, 90. E librorum vestigiis haec scribenda videntur: *quod ita nati essemus, ut et blandiri eis subtiliter, a quibus esset petendum, et adversarios minaciter terrere possemus — refellere; ad extremum deprecari aliquid* cet. Quae praeterea in codd. mss. et in editt. leguntur, ea librariorum interpretatione orta esse existimo; nam primum *suppliciter* ab optimis abest, quod si in eisdem propter similitudinem vocabuli proximi *subtiliter* omissum esset, certe non *et* resedisset, quod ex *eis* corruptum videtur, cum ultimam eius Pron. litteram vocabulum proximum absorbuisset, quo facto similiter atque in Erl. § 48 pro *ei* scriptum est *et;* haec autem *insinuare eis a*, postea quam vitium illud inrepsit, adderentur quodam modo necesse fuit, e quibus tamen unum *a* retinendum erit, quod facile potuit evanescere. Sic et membrorum aequabilitas restituitur et quo modo ea, quae eicienda esse docui, in verba Ciceronis invecta sint, nullo negotio perspicitur. In proximis ex Erl. (et Gu. 3) scribendum erit: *et quod contra diceretur* pro *et id, quod* cet., et ex eodem Erl. *ad extremum* pro *et ad extremum.*

I. 22, 102. Iniuria, opinor, recentiores librorum optimorum scripturam deseruerunt: *qui cum in schola adsedissent, ex magna hominum frequentia dicere iuberent si quis quid quaereret?* Nam *ex magna frequentia* pendet ab illis: *si quis* (h. e. qui) *quid quaereret.* Quamquam quod Bakius censuit non Latine dici *adsidere magna hominum frequentia* pro eo, quod est *adsidere cum multi homines adsunt* id vel his exemplis refellitur: p. Flacc. 17, 41: *Atque hic Dorylensis nuper cum ecferretur magna frequentia consessuque vestro, mortis illius invidiam in L. Flaccum Laelius conferebat;* in Verr. II. 77, 189: *tabulas in foro summa hominum frequentia exscribere*, ut praeter necessitatem ille scripserit: *cum in schola adsedisset magna hominum frequentia.*

I. 30, 134. Vehementer placet, quod a Müllero inventum ab ipso tamen et eis, qui deinceps secuti sunt, repudiatum est: *sine quo cum in vita nihil quisquam egregium, tum certe hoc, quod tu expetis, nemo umquam adsequetur.* Nam quod in libris legitur: *nihil quidquam*, id poëtarum est, velut Terentii Andr. I. 1, 63, Caecilii apud Cic. Cat. m. 8, 25; apud Ciceronem quidem ipsum *nihil quicquam* praeter hunc locum nusquam reperitur, non magis quam *nemo quisquam.* Accedit quod ex praegresso aliquo vocabulo neganti in proximis verbis adfirmans non raro intellegendum est, velut ex praegresso *nescire* eliciendum est *scire*, ex *ne* posteriore loco *ut*, cf. I. 24, 111, cum certe dubium sit, num ex proximo vocabulo neganti adfirmans apud Ciceronem priore loco usquam intellegi liceat, cf. Seyffert. ad. Cic. Lael. p. 372. Praestabit igitur pro *quicquam* scribere *quisquam*, quod levissima mutatione efficitur, quam ex *nemo*, quod subsequitur, praeter consuetudinem sermonis Latini idem illud priore loco intellegere, ac similiter Cicero de or. II. 28, 122 scripsit: *quod nihil quisquam umquam me audiente egit orator.*

II. 5, 20. In codd. et plurimis et optimis haec leguntur: *Ac si tibi videntur, qui temporis, qui loci, qui hominum rationem non habent, inepti, sicut debent videri, num tandem aut locus hic non idoneus videtur, in quo porticus haec ipsa, ubi nunc ambulamus, et palaestra et tot locis sessiones gymnasiorum et Graecorum disputationum memoriam quodam modo commovent?* In Erl. tamen et in Abr. pro *disputationum* falso scriptum est *disputationem*, quo librariorum non nullorum corrigendi libido commota est, ut scriberent: *ad Graecorum disputationem* (e mutilis id habent Lg. 13, 32 corr., 36, non item Erl. aut Abr.). Hoc Kayserus cum adripuisset, *gymnasiorum ad Graecorum* ita inclusit, ut tamen *disputationum* relinqueret, quam emendationem iure nemo praeterea amplexus est, quia, etiam si iam antiquitus mendose scriptum fuisse *disputationem* statuamus, in vetustissimis tamen codd. non *ad Graecorum*, sed *et Gr.* legitur. Klotzius quidem haec omnia ita conglutinavit, ut scriberet: *gymnasiorum ad Graecorum disputationem memoriam quodam modo commovent*, efficeretque perobscurum sane locum et qui explicari vix posset. Quis enim sic loquetur: commovere memoriam gymnasiorum ad Graecorum disputationem, ut sit i. q.: commovere memoriam ad eius modi disputationem, qualis in gymnasiis Graecorum fere instituta sit? Nam si *ad Graecorum disputationem* ita coniungenda cum *gymnasiorum* esse cen-

suit, ut verba illa, quod tamen fieri non potest, tamquam Attributi alicuius vice fungerentur et Participium aliquod, velut *institutorum* intellegendum esset, nonne saltem *disputationes* scribendum fuit? Quid multa? Meo mihi iure in loco ita constituto Latinitatem desiderare videor. Bakius autem Lambinum secutus ordine verborum mutato praetulit hoc: *gymnasiorum Graecorum et disputationum*, quasi quisquam Adiectivum illud desideraret aut praeter Graeca gymnasia alia ulla fuissent. Alii contra libros *et Graecarum disputationum* scripserunt, quod ob eam causam displicet, quia non disputationes Graeco sermone habitae, sed eae intellegendae sunt, quae ad Graecorum consuetudinem (cf. 3, 15 s. f.) de rebus in arte positis institui solitae sint. Sed nimirum sana omnia sunt, dummodo scribatur *disputationum*, et *gymnasiorum*, quod parum perspicue dictum videretur, apte quasi completum et inlustratum est additis his: *et Graecorum disputationum*. Nec vero duo Genetivi, quorum alter ab altero pendet, offensioni ei erunt, qui comparaverit de fin. I. 5, 14: *ista Platonis, Aristoteli, Theophrasti orationis ornamenta*, et, quem locum contulit Madvig., Tusc. disp. IV. 13, 30, aut qui meminerit supra 3, 10 similiter Ciceronem locutum esse: *quod merito propter eorum, qui de dicendi ratione disputarunt, ieiunitatem bonarum artium possit inludi*; cf. II. 82, 333: *vitanda etiam ingenii ostentationis suspicio*. Ac nescio an ex Abr. et Erl. etiam II. 48, 199 scribendum sit: *patronam illam civitatis ac vindicem libertatis populi Romani*.

II. 5, 21. In codd. antiquissimis haec videntur fuisse: *Omnia ista, inquit Crassus, ego alio modo interpretor, qui primum palaestram et sedis et porticus etiam ipsos, Catule, Graecos exercitationis causa* (pro vulgata scriptura: *exercitationis et delectationis causa, non disputationis*) *invenisse arbitror*. Quod cum non solum ieiunum, ut recte Orellius, sed etiam mancum videatur, quippe cum in iis, quae explicandi causa subiecta sunt, et exercitationis et delectationis et disputationis notiones pluribus verbis inlustrentur, recte viri docti praeter Kayserum fere omnes codicum auctoritatem deseruerunt. Tamen vitii originem unus videtur perspexisse Klotzius, qui scripsit: *exercitationis [et delectationis], non disputationis causa*, in quibus hoc unum reprehendo, quod uncos praeter necessitatem adhibuit; nam cum antea tria Substantiva posita sint: *palaestram et sedis et porticus*, Ciceronem, quem constat vel in numero verborum aequabilitatis studiosissimum fuisse, item tria Subst. subiecisse verisimile est. Ita facile intellegitur, quo modo in una codicum familia alterutrum Subst. *(non disputationis)*, in altera utrumque *(et delectationis, non disputationis)* intercidere potuerit, ut tamen in utraque *causa* remaneret; illud autem, quod est *non disputationis*, sive in libro aliquo ms. repertum, sive, id quod multo magis credo, felici coniectura excogitatum est, abesse posse utique nego. Similiter infra 7, 26: *Nam haec ipsa recusatio disputationis disputatio quaedam fuit* propter similitudinem vocabuli proximi *disputationis* in codd. mutilis intercidit.

II. 6, 25. Non adsentior eis, qui verba *ea, quae scriberet* propterea, quod in Erl. et Abr. desunt, eicienda censuerunt, nam causa omissionis in vocabulo antecedenti *solebat* sita est, quod similibus litteris atque *scriberet* continetur. Talia in codd. illis multa reperiuntur. Accedit quod sic demum intellegitur cur *se*, quod omissis illis insignioremlocum obtinere atque aut ante prius aut saltem ante alterum *neque* conlocari debuit, in media sententia ita interpositum sit, ut ceteris vocabulis fere obscuretur. Hoc quidem fieri non potuit nisi alia pars sententiae, quae maiore vi praedita esset, locum primarium occupasset. Praeterea quae in fine huius § posita illis respondent: *Malo enim non intellegi orationem meam quam reprehendi*, ea scriptionis significationem tamquam efflagitare videntur. Itaque ut concedo verba illa posse videri a librario aliquo addita

esse, ita satis magnam causam esse eiciendi nego. Non rectius eodem loco Kayserus verba *homo doctus et perurbanus* condemnavit, quae aptissime a Cicerone adiecta videntur ad significandam doctrinam Laelii, cuius praesertim mentio antea nulla facta sit.

II. 7, 29. *Sed quia tamen hoc totum, quicquid est, sive artificium sive studium dicendi, nisi accessit os, nullum potest esse, docebo vos, discipuli, id, quod ipse non didici, quid de omni genere dicendi sentiam.* Nihil in his mutandum; primum enim quod Bakius librorum deteriorum scripturam *Sed tamen, quoniam* restituit, cum diceret Coniunctiones illas *quia tamen* non posse sic copulari et utramque potius sententiam incohare debere, id exemplis refellere vix opus erit, cum etiam Pronomen relativum saepe numero sic ponatur: *qui tamen, qui autem* simill., ut idem valeat atque: *is tamen, qui, is autem, qui*, et Coniunctio non ad secundariam potius sententiam, sed ad primariam pertineat. Quamquam non adsentior Ellendtio, qui h. l. Coniunctioni illi vim nescio quam ἡπτικὴν tribuit, cum proximis superioribus verbis, quibus causa continetur cur Antonius se modeste gerere debuerit, eius modi Particula efflagitetur. Deinde parum recte faciunt omnemque huius loci pervertunt festivitatem, qui virgulam post *id* tollunt, qua omissa significaretur relativum enunciatum omni vi propria carere atque ob eam unam causam adiectum esse, ut proxima verba, quibus tamen ridiculi nihil efficitur, eo inlustrarentur. At vero res contra se habet verbaque *id, quod ipse non didici* primarium locum obtinent, quippe quibus omnis causa ridendi contineatur, ea autem, quae subsequuntur, explicandi tantummodo et tamquam complendi causa addita sunt. Ac nescio an Kaysero idem visum sit, cum codd. recentiores secutus *id* includeret, ea videlicet ratione commotus, quod arbitraretur enunciatum ab *id quod* incipiens non poni nisi ita posse, ut aliquid explanandi gratia adiceretur, quod idem nullo totius sententiae detrimento omitti liceret. Sed *id* h. l. verum est, quo quanto maior et exspectatio et risus commoveatur, nemo non sentiet, ut taceam in codd. recentioribus illo loco facile id intercidere potuisse, mutilos autem multo magis omissis quam additis verbis depravatos esse. Bakio autem, qui verba proxima *quid — sentiam* uncis inclusit, primum hoc respondeo, ea non a *didici*, sed item a *docebo* pendere, deinde Antonium suo iure se de omni genere dicendi nunc disputaturum profiteri, postea quam Crassus die superiore tantummodo gravissima quaeque attigerit. Non magis igitur probari potest, quod idem § 26 haec damnavit: *ut de tota eloquentia disserat*, quae sunt hoc modo intellegenda: ut de toto munere eloquentiae disserat. Postremo quod § 29 *dicendi* in Erl. et Abr. deest, id propter vocabulum proximum *sentiam* omissum est, et similiter Cicero I. 21, 98: *date nobis hanc veniam, ut ea, quae sentitis de omni genere dicendi, subtiliter persequamini*, ubi aeque ut h. l. paulo ante idem vocabulum legitur. Itaque non video causam iustam, cur Kayser. id prorsus eiecerit.

II. 7, 30. Postea quam Bakius in his verbis: *quae ad scientiam non saepe perveniat* vitium aliquod latere iudicavit, cum diceret pervenire ad scientiam eum dumtaxat posse, qui sciendi cupidus esset, Ellendt. et Kayser. hanc rationem secuti verba illa ut aliena ab hoc loco uncis inclusserunt. At vero pervenire aliquo is potius dicitur, qui tendit ad aliquid, quod ut adsequatur ei propositum est recteque orator, cui vel maxime propositum est ut causam, quam tractet, penitus cognoscat atque percipiat, ad scientiam eius aut pervenire aut non pervenire dici potest. Cumque dubitari non liceat, quin quae supra leguntur: *nam et apud eos dicimus, qui nesciunt, et ea dicimus, quae nescimus ipsi*, ita h. l. explicentur, ut inverso ordine priore loco id significetur, qualem ipse orator rei cognitionem adsequi possit, altero, qualis scientia in audientium animis effici posse videatur, perspicuum est oratoris loco ipsam eloquentiam substitutam esse ad eamque ea trans-

lata, quae de illo proprie dici oportuerit. Iam quoniam Antonius dixit mendacio eloquentiam niti, quod nimium videri potuit, quo tamen ut vocabulo uteretur eis commotus est, quae ipse paulo ante posuerat: *cum plus uno verum esse non possit*, iure additum est quo illud quodam modo corrigeretur: certe eam non saepe ad scientiam pervenire, quippe cum raro oratori contingat ut explorare omnia, quae ad ipsum deferantur, aut cognoscere accurate possit; cf. I. **20**, **92**. Accedit quod ita melius concinnitas orationis servatur, si duobus Substantivis, quibus audientium scientia qualiscumque describitur, duo respondent enunciata, quae ad oratorem ipsum pertineant.

II. **9**, **36**. *Aut si via ulla nisi ab hac arte traditur aut argumentorum aut sententiarum aut denique discriptionis aut ordinis: fateamur aut hoc, quod haec ars profiteatur, alienum esse aut cum alia aliqua arte esse commune.* In his miror a viris doctis omnibus *una*, quod in codd. recentt. reperitur ante *arte*, retineri, quamquam magna causa librariis fuit h. l. addendi et abest a mutilis. Sed melius omittetur, quod ne supra quidem, ubi haec leguntur: *si quisquam dicitur nisi orator formare orationem*, vocabulum illud adiectum est. Aptissime autem, postea quam expositum est scienter et eleganter dicendi rationem praeter illam artem inveniri nullam posse, haec subiciuntur: *Sed si in hac una est ea ratio* cet., quibus remoto eo, quod negandum erat, id effertur, quod confirmari cum quadam vi oporteat. Legendum autem esse *Sed si*, non *At si* aut *Et si*, quia in Erl. et Abr. falso exstat: *communes*. *Et si* cet., iam Halm. perspexit. Similiter infra **20**, **85** pro *universae civitati*. *Sin videbitur* in eisdem codd. legitur *universae civitatis invidebitur*. Nec audiendus est Ellendt., qui *et* eo praefert, quod hac particula orationis consequentia cum antecedentibus arctius conectantur: quasi vero non contraria adnectantur. *Commune* autem, scil. arti dicendi, sic dictum est, ut p. Rosc. com. **10**, **27**: *Panurgus fuit Faunii. Is fit ei cum Roscio communis*, ut inutilis sit Bakii coniectura: *aut nobis cum alia aliqua arte esse commune*. De *discriptionis* vocabulo v. ad II. **33**, **143**.

II. **9**, **38**. *Sed, quid cuiusque sit proprium, etsi ex eo iudicari potest, cum videris quid quaeque doceat, tamen hoc certius esse nihil potest, quam quod omnes artes aliae sine eloquentia suum munus praestare possunt, orator sine ea nomen obtinere suum non potest: ut ceteri, si diserti sint, aliquid ab hoc habeant. hic, nisi domesticis se instruxerit copiis, aliunde dicendi copiam petere non possit.* In hoc loco explicando Piderit., nisi vehementer fallor, ita erravit, ut mutare conaretur id, quod sanissimum est. Causa quidem et origo erroris in Adiectivo *certius* posita est, quod cum proprie de eo dicatur, de quo dubitari non possit, transfertur etiam ad id, quod idoneum ad persuadendum sit, ut passiva huius Adiectivi vis mutetur in activam eademque sit atque vocabuli *necessarius*; cf. de fin. V. **4**, **9**: *ut multa non modo probabili argumentatione, sed etiam necessaria mathematicorum ratione concluderent.* Hinc saepissime argumenta *certa* dicuntur, h. e. ea, quae, cum dubitationis nihil habeant, idonea sint ad fidem faciendam. Idem h. l. *certius* valet (zwingender, überzeugender), ubi duo afferuntur argumenta, e quibus quid oratoris proprium sit existimare liceat. Atque priore quidem, quod est positum in eis, quae ars dicendi docet, iam satis inlustrato ac profligato Antonius transit ad alterum, quod multo ei luculentius videtur magisque idoneum, quo demonstretur eloquentiam, quamvis multi praeterea bene dicant, oratoris tamen propriam esse. Id autem ipso nomine eius continetur, quod, cum a proprio cuiusque artis munere petitum esse soleat, tamquam insignis quaedam nota, ut dubitare nemo possit, quod suum cuiusque artis sit officium significat. Itaque hoc dicitur, oratoris adeo propriam esse eloquentiam, ut, si eam non habeat aut amittat, continuo orator esse desinat, quippe cuius nomine ipso indicetur orare eum vel eloquentem esse oportere. Hinc patet, opinor, quo iure

Piderit. pro *etsi* scripserit *si*, falsoque eum et Eggersium Subiectum Adiectivi *certius* inesse eis existimasse, quae sub finem posita sunt: *ut ceteri* etqs. Est potius Subiectum illud, quod proxime subicitur: *quod — orator sine ea nomen obtinere suum non potest* (nam quae particula interposita est, eam idem valere atque: cum omnes artes aliae — praestare possint, facile intellegitur); *quod* autem similiter h. l. dictum est atque de off. II, **20**, **70**: *Videndumque illud est, quod, si opulentum fortunatumque defenderis, in uno illo — manet gratia;* cf. ibid. I. **12**, **37**. Temere igitur Bakius, postea quam *etsi* iure contra Pideritium defendit, haec subiecit: »Structura haec vitiosa est post *certius esse nihil potest:* requiriturque hoc, *quam cum omnes — praestare possint, oratorem — non posse.*« De *quam* post *hoc certius* abundanti vide Madvig. de fin. I. **6**, **19**. Itaque, ut finem aliquando faciam, nihil in his mutari licet, nisi quod cum Manutio et Lambino legendum est: *quid quaeque doceat* pro *q. q. doceant.*

II. **10**, **40**. Nescio an pro *hos abs te discipulos abducerem* scribendum sit *hos a te* cet., quod in codd. vetustioribus II. § **44**, **127**, **203**, **304** legitur; nam quod h. l. in Erl. et Abr. invenitur *ante*, in illo iam prima manu puncto litterae *n* supposito mendum sublatum est, idemque arbitror in Abr. factum esse, quia in Gu. **3**, qui ex eo descriptus videtur, aperte *a te* exstat. Librariis quidem *abs te* elegantius visum est, qua re hoc in recentt. libris legitur; sed Ciceronem posteriore aetate eo fere abstinuisse videri Zumpt. ad Verr. III. **60**, **138** docuit; cf. Madvig. ad de fin. V. **25**, **75**.

II. **13**, **54**. Non offendor equidem his: *iste ipse Caelius neque distinxit historiam varietate locorum neque verborum conlocatione et tractu orationis leni et aequabili perpolivit illud opus. Loci* sunt capita narrationis, velut bella aut contentiones civium aut orationes, denique gravissima quaeque, quae historiae subiecta sunt. Harum rerum cum natura varia sit, scriptorem, qui quidem animos hominum capere et movere velit, orationem oportet ita ad earum varietatem dirigere, ut in explicandis singulis locis eo, quod cuiusque proprium sit, dicendi genere utatur. Sic varii tamquam colores orationis efficiuntur, quorum dissimilitudine oratio quodam modo distinguatur et exornetur, nec tamen *colorum*, ab Jacobsio inventum pro *locorum*, viris doctis probari debuit, praesertim cum Cicero nusquam simpliciter *colores* orationis pro *ornamentis* dixerit, sed aut simili quodam usus sit, in quo de veris coloribus cogitaverit, ut or. **19**, **65**: *(sophistae) verba altius transferunt eaque ita disponunt, ut pictores varietatem colorum*, cf. auct. ad Her. IV. **11**, **16**: *quae (exornationes) si rarae disponentur, distinctam sicuti coloribus, si crebrae conlocabuntur, oblitam reddent orationem*, aut Singulari eius vocabuli numero totum orationis habitum et formam significaverit, ita tamen, ut hoc quoque excusandum ei videretur, velut de or. III. **25**, **96**: *Ornatur igitur oratio genere primum et quasi colore quodam et suco suo:* ibid. **52**, **199**: *Sed si etiam habitum orationis et quasi colorem aliquem requiritis, est et plena quaedam, sed tamen teres* cet. Communes quidem loci, quos Ellendtius a Cicerone significari putavit, non excludendi sunt, quia hi quoque suum quoddam genus dicendi requirunt, sed de eis solis non licet cogitari, quoniam non ipsi commemorati sunt. Sed eadem atque h. l. vi vocabulum illud positum est de or. II. **46**, **191**: *magna vis est earum sententiarum atque eorum locorum, quae* (sic enim legendum ex Abr. et Erl.) *agas tractesque dicendo, nihil ut opus sit simulatione et fallaciis;* ibid. **72**, **294**: *unum (mihi pro meo iure sumo), ut molesto aut difficili argumento aut loco non numquam omnino nihil respondeam;* or. **33**, **118**: *Nec vero dialecticis modo sit instructus, sed habeat omnis philosophiae notos ac tractatos locos.* Cf. Seyffert. ad Cic. Lael. **13**, **46**.

II. 13, 57. *Postea vero ex clarissima quasi rhetorum officina duo praestantes ingenio, Theopompus et Ephorus, ab Isocrate magistro impulsi se ad historiam contulerunt; causas omnino numquam attigerunt.* Sic optime Müllerus pro *rhetoris off.*, quod Pideritius non debuit retinere, praesertim cum in codd. syllabarum extremarum *is* et *um* confusione nihil frequentius sit. Cf. II. § 68, ubi perperam in libris optimis *in sensu hominis communi* pro *in sensu hominum com.*, et § 69, ubi *hominum speciem* exstat, quod egregie a Kaysero mutatum in *hominis unius speciem.* Singularis autem ita demum probari posset, si unus modo rhetor fuisset, aut si *clarissimi rhetoris* scriptum esset. Quamquam ne sic quidem hic locus omni offensione careret, quia *quasi*, si ita Cicero scripsisset, inter *rhetoris* et *officina* ponendum fuit. Quae difficultates emendatione illa omnes tolluntur; nam clarissimam quasi rhetorum officinam nemo non facile nobilem illum, quem Isocrates aperuit, eloquentiae ludum intelleget, recteque *quasi* ante *rhetorum* conlocatum est, quia rhetores potissimum in officina tamquam arma vel simile genus instrumenti confici mirum profecto videri debet. Postea vero, quam *rhetoris* falso scriptum est, librarios, qui quidem attenderent, *quasi* suo loco movere necesse fuit atque ante *clarissima* conlocare, ut est in codd. recentt. Bakius autem Ellendtium secutus deleri illa omnia vult, quo facto manca exsistit oratio, cum ad proximum vocabulum *duo* Substantivum aliquod, si ex superioribus intellegi non potuit, certe addendum fuerit. Sed ne Kaysero quidem adsentior verba *ab Isocrate magistro impulsi* includenti, quibus nihil potest sanius esse, si quidem mirum videri potuit (id quod ipsa particula *vero* indicatum est), quemquam ad eloquentiam institutum, qui praesertim ingenio praestaret, sua sponte historiae potius operam dare quam causis forensibus. Atque hoc tempore in mentem mihi venit loci simillimi, qui est de fin. V. 3, 7: *Ut ad minora veniam, mathematici, poëtae, musici, medici denique ex hac tamquam omnium artificum officina profecti sunt*, ubi iniuria, ut opinor, Madvig. cum eoque Baiter. a codd. optimis desciverunt, cum scriberent *tamquam omnium artium*, obliti eius loci, unde hic profecti sumus. Neque enim fuit cur in artificum vocabulo haererent, quod praeposito *tamquam* pariter atque illic *rhetorum* excusatur, et propter ea Subst., quae antecedunt: oratorum, imperatorum, rerum publicarum principum, tum mathematicorum cet., multo aptius videtur esse quam quod Madvig. substituit. Qui quod artificum officinam esse ponit, ubi opus faciant, non ubi ipsi fiant, recte hoc diceret, si *tamquam* abesset; nunc *artificum officina* similiter dicta est atque Phil. VII. 4, 13: *armorum officinas in urbe videtis*, al. *Omnis* autem non semel dici pro *qualiscumque* vel *omnis generis*, nihil opus est commemorare.

II. 14, 61. Hodie fere legitur: *deceptus indicibus librorum, qui sunt fere inscripti de rebus notis et inlustribus*, et sic libri recentt. Sed in Erl. est *quo sunt fere*, in Abr. *quos fere*, quod ex illo ortum est; hinc intellegitur praeferendum esse quod olim vulgabatur: *quod sunt fere*, pro quo in recentt. a correctore parum recte positum videtur: *qui sunt* cet.

II. 15, 64. In optimis codd. haec leguntur: *Harum tot tantarumque rerum videtisne nulla esse praecepta, quae in artibus rhetorum reperiantur?* Ellendtius, quem recentiores omnes secuti sunt, pro *nulla* ex deterioribus scripsit *ulla*, quod ipsum probari posset, si melius esset testatum, quia, utrumcumque legimus, sententia eadem est. Nam quoniam *ne*, ut recte Ellendtius, »formula est rogandi respondenti liberam aiendi negandive potestatem concedens«, responderi potest aut *videmus* aut *non videmus;* si prius illud respondeatur, reliqua oratio ita instituenda erit, ut est in Erl. et Abr., sin alterum, id substituendum erit, quod in deterioribus legitur. Sed utrum statuamus, sententia utique haec erit, nulla esse tot tantarumque rerum praecepta, quae quidem

in artibus reperiantur. Quibus verbis Antonius, quamquam historiae scribendae non magis, quam aut testimonia dicendi aut mandata exponendi aut obiurgandi, cohortandi, consolandi (cf. § 48 sq.) propria praecepta aut tradantur necesse esse aut in artibus tradi posuit, tacite tamen posse quaedam dari significat, qualia ipse paulo ante extremis lineis adumbraverit, neque iniuria Ciceronem de historia conscribenda cogitasse Turneb. ad Cic. de leg. I. 2 ex hoc loco conligit. Ac ne quis miretur quod Antonius, cum paulo ante § 47 se quae caderent aliquando in oratorem nolle sic tractare professus sit, quasi nihil posset dici sine praeceptis suis, atque § 51 historiae scriptionem in rebus illis numeraverit, mox tamen ipse eius praecepta quaedam tradit: idem multis locis se non multum aut nihil de Graecorum doctrina degustasse simulat ac nihilo minus magnam optimarum artium scientiam expromit. Est nimirum hoc a Cicerone arte non mediocri institutum, ut quem ad modum et mala illa multitudinis de doctrina Antonii opinio orta et quam falsa esset demonstraret. Restat ut contra Bakium moneam verba illa: *nulla esse praecepta, quae in artibus rhetorum reperiantur*, cum dici brevius potuerit: *nulla praecepta in artibus reperiri*, non profecto a Ciceronis loquendi consuetudine et copia abhorrere; cf. II. 15, 66: *Denique — ei nullum potest esse genus orationis, quod sit exceptum.*

Ibid. paulo ante nunc haec fere leguntur: *Verborum autem ratio et genus orationis fusum atque tractum et cum lenitate quadam aequabili profluens — persequendum est.* Sed in libris optimis scriptum est *cum lenitate* (vel *leuitate*) *quadam aequabiliter profluens*, quod male in ceteris correctum videtur esse; nam legendum potius erit: *cum lenitate quadam aequabiliterque profluens*, quia lenitas orationis et aequabilitas separatim efferri solent; cf. II. 13, 54: *tractu orationis leni et aequabili;* III. 43, 172: *quae (verborum conlocatio) iunctam orationem efficit, quae cohaerentem, quae lenem* (nam sic legendum), *quae aequabiliter fluentem;* or. 16, 53; *elaborant alii in lenitate et aequabilitate et puro quasi quodam et candido genere dicendi.* Et sic *aequabiliter in omni sermone fusum* alterum genus facetiarum dicitur de or. II. 54, 218; cf. Tusc. disp. I. 10, 21; de deor. n. II. 56, 141. Facile autem *que* ante *profluens* obscurari et abici potuisse nemo non intellegit; similiterque idem II. 22, 93 in verbis: *sententiisque magis quam verbis abundantes* oblitteratum est in codd. recentt., quos iniuria viri docti secuti sunt.

II. 15, 65. In libris optimis exstat: *addat, si qui volet, laudationes*, pro quo cur novissimi editores ex deterioribus scripserint *si quis volet*, non video. Quae formae Pronominis quin promisce a Cicerone positae sint, sive Substantivi sive Adiectivi vices tenerent, cum nemo hodie dubitet, antiquissimi usquequaque libri sequendi sunt; nam librarios parum saepe religiose rarioribus formis usitatas praetulisse ex hoc ipso loco patet, cum pro *qui*, quod est in Abr., iam in Gu. 3, quem ex illo manavisse supra dixi, *quis* scriptum sit. Recte igitur propter eiusdem Erl. et Abr. auctoritatem infra 48, 199 scribitur: *si quis motus populi factus esset;* velim etiam I. 2, 8 ex Erl. revocetur, quod olim volgabatur: *Ac ne qui forte*, sicuti de invent. II. 55, 167 iure a Kaysero servatum est *ne forte qui.*

II. 16, 69. *Ut in ceteris artibus, cum tradita sint cuiusque artis difficillima, reliqua, quia aut faciliora aut similia sunt, tradi non necesse esse.* Sic codd. prope omnes, quod cum multis falsum videretur, scribi fere nostra aetate coeptum est: *quia aut faciliora aut similia sint.* Sed quod priore loco fieri necesse est, ut Coniunct. *tradita sint* ponatur, quia tota illa pars sententiae necessario requiritur, id in alteram partem non cadit, quae commode omitti potuit, ut tamquam extrinsecus ac praeter necessitatem addita videatur, quibus in enunciatis Coniunctivo non

opus esse constat. Cf. Madvig. Gram. lat. § 369. Ac nescio an Indic. etiam *quia* particula quodam modo commendetur, qua cum causa vera et in rerum natura posita significetur, scriptor facile adduci potuit ut institutam orationis formam ac rationem desereret. Sed non aeque mox in eadem § *didicerunt* servari licet, scribendumque cum Pideritio: *sed qui primarum et certarum genera ipsa didicerint, reliqua per se adsequentur,* qui cum egregie hunc locum sanaverit, in eo tamen errasse mihi videtur, quod verba illa *non incommode,* quae in paucis nec optimis codd. leguntur, retinuit.

II. 17, 71. Nescio an revocandum sit quod in Erl. et Abr. legitur et in Laud. quoque videtur fuisse: *videto ne in istis duobus generibus hydra tibi sit et pellis,* pro *vide ne* cet., quod librarios in rarius illud mutasse non credibile est. Nec vero *videto* a gravitate Catuli abhorret, ut qui reconditioris doctrinae vim et auctoritatem acriter contra Antonium defendat artemque pluris multo faciat quam, quem hic solum probat, rerum usum. Fortasse idem in hac forma usu venit, ut Catulus magis ea delectaretur quam ceteri, atque in *rebar*, quod a communi loquendi consuetudine alienum fuisse Catulique proprium ex III. 22, 82, coll. III. 38, 153, intellegitur. Sed tamen *videto ut* reperitur etiam auct. ad Her. IV. 50, 63: *videto ut diligenter numerentur, si potest, ante noctem.*

II. 17, 73. *In his operibus si quis illam artem comprehenderit, ut tamquam Phidias Minervae signum efficere possit, non sane quem ad modum in clipeo idem artifex minora illa facere discat laborabit.* Hunc locum Pideritius praeclare emendavit, cum *idem artifex* eiceret, quae tamen emendatio nec Klotzio nec Bakio probata est. Atque hic quidem, qui proxima superiora quoque, a Madvigio iam pridem recte constituta, temere mutando corrupit, Pideritium eo reprehendit, quod non attendisset »in hac sententiae parte Subiectum diserte ut indicaretur requiri«, in eoque ipse vehementer erravit, quod non perspexit, cum causarum actio translate Minervae signum appellatum sit idque ab oratore confici significetur, in proximis quoque ipsum oratorem artificis instar haberi, praesertim cum reliqua dicendi genera minora illa opera appellentur, ut eum iterum cum Phidia comparari non modo molestum, sed etiam absurdum sit. Nam postea quam Antonius in principio sane quidem oratorem Subiecti loco posuit, mox Phidiae mentione facta illius quasi oblitus unius artificis tamquam personam ita descripsit, ut tamen oratorem intellegi necesse esset. Patet igitur verba illa: *idem artifex* a semidocto quodam addita esse librario, qui sic denique lucem huic loco affudisse sibi videretur, eisque eiectis *quem ad modum* interrogative, non relative accipiendum esse. Denique quod Bakius verbum *discat* uncis includendum esse statuit, cum negaret dici posse *laborare quem ad modum quis faceret*, tamquam si laborare esset idem quod quaerere, in eo vel Latinitatis se expertem esse ostendit, quoniam idem fere reperitur p. Flacc. 4, 10: *numquam laborant quem ad modum probent quod dicunt;* ad fam. III. 12, 3: *Vides sudare me iam dudum laborantem quo modo ea tuear, quae mihi tuenda sunt, et te non offendam.* Iam quod Klotzius scripsit, cum aliquid etiam adderet: *non sane quem ad modum in clipeo idem artifex, ut minora illa opera facere discat, laborabit,* id eisdem rationibus refellitur, ut plura argumenta afferre inutile sit.

II. 20, 84. Optime Erl. et Abr. habent: *Ac tamen* (non *attamen*) *ars ipsa ludicra armorum et gladiatori et militi prodest aliquid,* quod miror a viris doctis spretum esse, praesertim cum pridem Madvig. ad de fin. II. 27, 85 exposuerit *at tamen* hoc uno modo recte dici, ubi *at* in descensu ad minus post *si, si non, etsi* superadderetur, quamquam in eo certe erravit, quod interpositum usquequaque aliud vocabulum esse arbitrabatur; cf. Wichert, Lat. Stil. p. 274. Quo

errore sublato illud quidem non solum codd. mss., sed ratione etiam comprobatur, si quidem *at* particula semper tollitur aliquid, quod positum est, et quasi rescinditur, ut *at tamen* locum nullum habere possit, ubi contrarium aliquid superiori sententiae adiungatur. Itaque recte III. 4, 15 vel contra libros optimos scribitur: *at pro nostro tamen studio,* contra h. l. et infra 56, 229 libri optimi sequendi sunt et recipiendum *ac tamen*, quod ipsum iure I. 32, 148 hodie restitutum est; cf. II. 59, 240: *Salsa, ac tamen a te ipso ficta tota narratio;* or. 2, 6 et 8, 26.

II. 20, 85: Iniuria Kayserus, Klotzius, Bakius a vetustissimis codd. desciverunt, in quibus haec leguntur: *Quare ego tibi oratorem sic iam instituam, si potuero, ut quid efficere possit, ante perspiciam,* cum illi scriberent: *si potero.* At Fut. exactum optime ita ponitur, ut significetur contigisse alicui necesse esse ut possit, antequam ad rem ipsam adgrediatur, vel, ut Matthiae. Cic. oratt. VII. ed. 1831 in excursu de usu Futuri ex. recte ponit p. 241 sq.: »etiam si actiones, quae verbis *posse, velle* etc. declarantur (nam idem cadit in *si licuerit, si voluero, si opus fuerit,* sim.) continuari necesse est, dum actio ab iis profecta perficitur, tamen potestas, voluntas, etc. praecedere etiam debent ipsam rem, nec quisquam umquam rem adgreditur, nisi potestas ac voluntas eam et suscipiendi et perficiendi antea affuerit«, falsoque illud multis locis ab Ernestio contra libros optimos mutatum est, cf. Brut. 5, 21: *Ego vero, inquam, si potuero, faciam vobis satis,* quem locum Piderit. attulit, et Reisig. Lat. Gr. p. 502 sq. Huic loco consimile est quod supra legitur II. 2, 7: *Quo etiam feci libentius, ut ea custodirem litteris, si ullo modo adsequi complectique potuissem;* II. 49, 200; III. 35, 140. De fin. autem I. 20, 69: *Etenim si loca, — si ludicra exercendi aut venandi consuetudine adamare solemus, quanto id in hominum consuetudine facilius fieri potuerit et iustius?* ubi Madvigio *poterit* paene praeferendum visum est, Futuro ex. significatur dubium non esse, quin futurum profecto sit ut fieri possit.

II. 20, 86. Corrupit Pideritius sententiam in his: *Nam neque is, qui optime potest, deserendus ullo modo est a cohortatione nostra neque is, qui aliquid potest, deterrendus: quod alterum divinitatis mihi cuiusdam videtur, alterum, vel non facere quod non optime possis, vel facere quod non pessime facias, humanitatis, tertium vero illud, clamare contra quam deceat et quam possit, hominis est — stultitiae suae quam plurimos testis domestico praeconio conligentis,* cum scriberet: *quod alterum, non facere quod non optime possis, divinitatis mihi cuiusdam videtur, alterum, facere quod non pessime facias, humanitatis.* Tetigit hunc errorem Bakius, sed parum idoneis argumentis refutavit. Est vero totius loci ratio haec: Antonius tria ponit genera hominum, unum eorum, qui optime possunt dicere, alterum, qui mediocriter, tertium, qui omnino non possunt. Quorum cum illos se summo opere cohortari professus est, alteros non vehementer impellere, tertios denique omni modo deterrere, iam cur id faciat rationes adfert a dignitate eius, quod efficiunt, petitas. Atque illae sic prope modum efferri debuerunt: quod alterum (scil. facere quod optime possis, quod facile ex superioribus intellegitur) divinum quiddam videtur maximeque expetendum, alterum, facere quod non pessime facias, nihil exquisitum et plurimorum hominum commune, tertium vero, facere quod non possis, homine indignissimum. Sed haec ita variavit, ut in altera parte etiam adiceret aliquid, quod alienum esse videatur. Nam quoniam supra se eis, qui ad mediocres oratores venturi essent, permittere quid vellent professus est, quo nihil sua interesse significaret utrum illi eloquentiae operam dare vellent an nollent, cum propter *divinitatis* vocabulum similitudinis causa positurus esset *humanitatis,* quo verbo non illud solum declaratur, quod humanarum virium finibus circumscribitur, sed etiam frequentius hoc, quod a consuetudine hominum aut voluntate non abhorret, fieri facile potuit ut paulum ab instituta ratione

deflectens et ipso illo vocabulo commotus non de eo cogitaret, quod a plerisque hominibus effici posset et ob eam causam mediocri laude dignum esset, sed quod e communi hominum voluntate usu fere venire soleret ideoque excusationem aliquam aut defensionem haberet. Est autem naturae humanae conveniens ac vel verecundiae sane laudabilis, facere nolle quod non optime possis. Mox cum animum ad id converteret, quo uno in hac particula opus erat, ut genus illud hominum commemoraret, qui facerent quod non optime possent, planius profecto fuit pro *humanitatis* dicere: *laudis vel mediocris*, sed aequabilitati et concinnitati orationis hoc tribuit, ut illud praeferret, quo tamen perspicuitati quodam modo officeret. Tertia huius sententiae particula, in qua indignitatis vis ac notio pluribus verbis amplificata est, offensionis nihil habet.

II. 22, 92. In libris omnibus haec sunt: *Qui autem ita faciet, ut oportet, primum vigilet necesse est in deligendo; deinde quem probavit, in eo quae maxime excellent, ea diligentissime persequatur.* In his *probavit* vitiosum esse Lachmannus ad Lucret. p. 30 vidit neque intellego qua ratione Perf. defendi possit, quod tamen omnes fere tenuerunt, quamquam quae h. l. praecipiuntur, omnia futurum tempus spectant. Sed tamen *probabit*, quod ille commendavit, num verum sit mihi quidem vehementer dubium est, quia *probare* h. l. nihil differt a deligendo idque prius factum sit necesse est quam orator persequatur. Aliud est quod § 90 in loco simillimo legitur (quem Kayserus iniuria damnavit): *ut, quae maxime excellent in eo, quem imitabitur, ea diligentissime persequatur.* Itaque malim equidem *probarit*, quod non difficilius depravari potuit quam 28, 123 *confirmaro*, pro quo in Erl. et Abr. perperam scriptum est *confirmabo*. Contrarium vitium in codd. est 38, 161, ubi *oppugnarit* scriptum est pro *oppugnavit*, propter praecedens vocabulum.

II. 23, 94. *Atqui et illi, Theopompi, Ephori, Philisci, Naucratae multique alii naturis differunt, voluntate autem similes sunt et inter sese et magistri.* H. l. recte contra codd., qui exhibent *atque*, hodie fere vulgatur *atqui;* Bakio autem *itaque* pro eo necessario revocandum visum est, cum fugeret eum paulo ante scriptum esse discipulorum Isocratis partim in pompa, partim in acie inlustres esse voluisse. His autem nececessario requiritur ut subiciatur, quamvis illi inter se differant, voluntate tamen eos inter se similes esse, idque commendatur optimorum librorum scriptura *atque*, in quo latet *atqui*. Sed refellere potius Kayseri opinionem volui, qui, quoniam in Erl. et Abr. *et* ante *magistri* abest, aliquid suppositum esse suspicatus scripsit: *voluntate autem similes sunt [et] inter sese [magistri].* Equidem vereor ne librariorum imprudentiam ac temeritatem error Kayseri consecutus sit; nam cum supra § 93 positum sit: *Non potuisset accidere ut unum genus esset omnium, nisi aliquem sibi proponerent ad imitandum*, quidni h. l. Antonius discipulorum cum magistro similitudinem commemoraverit, praesertim in qua eorum discipulorum inter se similitudo posita sit? Ne illud quidem probandum, quod idem ille paulo ante haec inclusit: *magister istorum omnium*, quamquam ipse quoque intellego non esse eos significatos, quorum nomina antea leguntur. Sed, nisi prorsus fallor, sunt nimirum *isti omnes* ei, qui Isocratis aetate fuerunt, de qua aetate quia Antonius cum maxime disputat, pluribus verbis eos describere non opus fuit. Similiter infra § 95 *omnium istorum* est *omnium, qui tum fuerunt.*

II. 23, 95. Hodie sic vulgatur: *Intellegimus, ut hodie Alabandensem illum Meneclem et eius fratrem Hieroclem, quos ego audivi, tota imitetur Asia, sic semper fuisse aliquem, cuius se similes plerique esse vellent.* At in Erl. et Abr. est: *ut etiam Alabandensem* cet., quod recipiendum fuit, quia *hodie*, quod in deterioribus exstat, verisimillimum est a correctore aliquo excogitatum esse, quem fugeret *etiam* idem fere valere, sed ita tamen, ut non solum esse aliquid

certo quodam tempore, sed etiam mansisse idem ex superiore ad illud usque tempus singnificet (ποφ). Similiter in Verr. III. 23, 56: *Is — domum ad ipsum in ius eductus est et, cum iste etiam cubaret, in cubiculum introductus est.* Cf. Brut. 64, 230, ubi egregie Kayserus: *si quidem et Crasso vivo dicere solebat et magis iam etiam vigente florebat Antonio;* in Cat. I. 1, 1; Hand. Turs. II. p. 591. Ac nescio an Cicero de industria hoc vocabulo usus sit ad magnam ac diuturnam istorum rhetorum auctoritatem efferendam. Cf. or. 69, 231: *Tertium est (genus), in quo fuerunt fratres illi Asiaticorum rhetorum principes Hierocles et Menecles, minime mea sententia contemnendi;* Brut. 95, 325 sq. Quod si in codd. illis esset *hodie etiam*, dubitari posset an *etiam* a librariis priori vocabulo adiectum esset; nunc cum in altera librorum mss. familia legatur *etiam*, in altera *hodie*, alterutrum utique verum esse potest.

II. 24, 102. *Qui locus est talis, ut plus habeat adiumenti quam incommodi, hunc iudico esse dicendum; ubi plus mali quam boni reperio, id totum abiudico atque eicio.* Sic codd. fere omnes in eisque optimi, editores autem a Stephano omnes scripserunt: *id totum abdico atque eicio*, quam scripturam Ellendtius praestantissimam appellat, ineptum autem librorum illud *abiudico*. Sed nihilo secius ego libros sequendos existimo. Nam qua tandem re illud alterum magis commendatur? An loquendi usu et consuetudine? At *abdico* non modo nihilo frequentius altero est, sed ea quidem vi ac notione, qua h. l. opus est, apud Ciceronem prorsus solitarium. An vero ipsa sententia? At ei vocabulo nulla vis alia ab interpretibus subicitur aut subici potest, nisi quae in illo altero inest; nam quod *abdico* sic fere interpretantur, ut sit: inutile esse aut alienum dico, idem illo efficitur, si vim eius hanc esse statuamus: alienum esse iudico, quae notio tum quoque ei verbo subest, cum significat: rem aliquam iudicando vel decernendo adimere, vel rem adimendam iudicare. Eadem ratione *adiudicare* est interpretandum, ut sit: tribuendum esse alicui vel esse alicuius iudicare. Sic facile exsistit illa notio, ut *abiudicare* sit: seiungendum aliquid vel alienum esse ab aliqua re iudicare, id quod h. l. requiritur. Quod cum in illius verbi vi impedimentum nullum insit, quo minus id retineamus, tum ab ipsa huius loci ratione commendatio ei non mediocris oritur; nam quoniam supra dictum est: *hunc iudico esse dicendum*, de industria verbum eius modi positum est, quod cum annominatione quadam rem prorsus contrariam significet; quo posito quanta vis ac gravitas sententiae addatur quis est quin sentiat? Ac ne qua dubitatio de eo vocabulo esse posset, aliud verbum *eiciat* adiectum est, iure e codd. mss. adscitum, cum antea vulgatum sit *reiciat*, ut viros doctos hoc uno verbo emendando acquiesse merito mirari liceat.

II. 25, 108. Nondum sanatus hic locus est: *Atque in hoc genere causarum non nulli praecipiunt, ut verbum illud, quod causam facit, lucide breviterque uterque definiat.* Ac recte quidem Kayser. et Bakius *lucide* viderunt a consuetudine Ciceronis abhorrere, ut pro eo scriberent *dilucide;* cumque illi placuisset hoc: *dilucide breviterque uterque definiat*, Bakius eorum codicum auctoritatem sequendam ratus, in quibus *uterque* omitteretur, praeferendam sibi videri ait *dilucide breviterque definiatur*. At vero *lucide* (aut *dilucide*) in paucissimis reperitur libris neque aut in Laudensi fuit aut in eo cod., unde Abr. et Erl. descripti sunt, et quod in his, quos postremos nominavi, legitur: *breviterque definiat*, id facillime oriri potuit ex eo, quod in Laud. fuit *breviter uterque definiat*, sicuti in Abr. et Erl. II. § 38 pro *quid quaeque* legitur *quidque*. Hoc igitur scribendum, ut iam Halmio visum est, nec audiendus Bakius, qui negat ex praecedentibus adferri posse, quo *utriusque* designatio defendatur, si quidem h. l. de contentione disputatur, quae duorum profecto hominum est et mox § 109 Antonius ipse haec subicit: *Quod quidem in illa causa neque Sulpicius fecit neque ego facere conatus sum. Nam quantum uterque nostrum potuit, omni copia dicendi dilatavit quid esset maiestatem minuere.*

II. 29, 126. *Ego vero, inquit, in vobis hoc maxime admirari soleo, quod, cum inter vos in dicendo dissimillimi sitis, ita tamen uterque vestrum dicat, ut — videatur.* Sic libri omnes, sed scribendum erit: *quod — ita tamen uterque vestrum dicit.* Longe aliud est III. 14, 52: *Nemo enim umquam est oratorem, quod Latine loqueretur, admiratus,* h. e. nemo oratorem admiratus est, cum diceret admirationis suae causam in eo positam esse, quod Latine loqueretur. Hoc vero loco causa admirationis non ad alterius iudicium revocatur, sed simpliciter tamquam vera et certa efferenda fuit. Nec difficile est vitii originem videre, quae praegresso Coni. *sitis* continetur.

II. 33, 142. Nolim Pron. *se* omitti in his: *Est enim — heri nobis ille hoc, Catule, pollicitus, se ius civile — in certa genera coacturum.* In talibus quidem rebus codicum vel optimorum mediocris est auctoritas, ut taceam Abr. et Erl. et eos, qui eiusdem familiae sunt, libros mss. vel maxime omissionum mendis vitiatos esse. Nec magis puto III. 32, 127 Pronomen abesse posse, quem locum probaliter sane Kayserus emendavit, cum *se tenere* ante *sed anulum* inferciendum coniceret, neque III. 20, 74, ubi scribendum videtur: *ut ea, quae dicam, me non de memet ipso, sed de oratore dicere putetis,* praesertim cum *putetis* et Inf. *dicere* diversum Subiectum habeant; cf. III. 24, 90: *pergisne me, quae dicam, de me, non de re putare dicere?* Alia ratio est talium locorum, qualis est I. 22, 101: *dum mihi liceat negare posse quod non potero,* ubi *me* propter *mihi* proxime antecedens adici non opus fuit, aut eorum, in quibus propter concisum quoddam dicendi genus tantummodo gravissima quaeque efferuntur, velut III. 40, 162: *sperantis diutius esse victurum;* in Verr. act. I. 8, 23: *hic alios negasse audere, alios respondisse non putare id perfici posse,* ubi propter contrariorum comparationem omne pondus in ipsis Verbis positum est, aut denique eorum, in quibus Subiectum indefinitum vel universum (man) cogitandum est, velut de deor. n. I. 30, 84: *Quam bellum erat, Vellei, confiteri potius nescire quod nescires, quam ista effutientem nauseare atque ipsum sibi displicere.* Sed de or. III. 5, 18 recte a Klotzio ex Ascensiana scribitur: *An me tam impudentem esse existimatis, ut vobis hoc praesertim munus putem diutus posse deberi* (pro *debere*)? et II. 64, 258 dudum intellectum est ambiguitatis vitandae causa scribendum esse: *cum Asellus omnis provincias stipendia merentem se peragrasse gloriaretur.*

Quae paulo ante leguntur: *ut, quod homines innumerabiles essent, debilitati a iure cognoscendo voluntatem dicendi simul cum spe perdiscendi abiceremus,* non eiciendo sed addendo potius ita emendari posse mihi videntur, ut retento eo, quod Bakius pridem invenerat: *numero,* scribatur: *debilitati tanto numero cognoscendo,* quae cum brevius scripta sic essent: *debilitati tāto nūo cognoscendo,* facile *tanto* intercidere potuit post *debilitati* atque ex *nūo* a librario aliquo erui illud, quod nunc in codicibus legitur. Nec vero ea, quae proposui, a copia Ciceronis abhorrent, quem, postea quam eam, quae in rebus ipsis inesset, causam significavit, ut omnem difficultatum vim complecteretur, eam causam adiunxisse verisimile est, quae ab ipsorum discentium imbecillitate peti posset.

II. 33, 143. In codd. optimis haec leguntur: *haudquaquam id est difficile Crasso* (i. e. ius civile describere), *qui et, quod disci potuit de iure, didicit et, quod iis, qui eum docuerunt, defuit, ipse adferet; ut, quae sint in iure, vel apte describere vel ornate inlustrare possit.* Hodie autem e codd. recentioribus fere vulgatur *acute describere,* quod num recte praeferatur mihi quidem vehementer dubium est, quoniam *acute* de inveniendis potius aut definiendis rebus quam de digerendis eis, quae dissipatae antea fuerunt, atque in ordinem redigendis dicitur. Hanc autem sententiam loco illi subiectam esse vel propterea statuendum videtur, quod paulo ante

idem verbum positum est in his: *sed haec Crassus aliquando nobis expediet et exponet descripta generatim,* ubi mallem tamen *discripta* (cf. Bücheler. Mus. Rhen. XIII. p. 598 sqq., Halm. ad p. Sest. 30, 66 ed. Weidm., Baiter. ad de off. I. 34, 124 ed. Orell. alt.), quae ipsa forma II. 71, 288 in Abr. et Gu. 3 servata est: *sed haec ipsa nimis mihi videor in multa genera discripsisse;* eadem restituenda erit cum I. 13, 58: *Iam vero de legibus tuendis* (fortasse: *de legibus de conventis,* cf. II. 24, 100; 27, 116), *de bello de pace, de sociis de vectigalibus, de iure civium generatim in ordines aetatesque discripto dicunt vel Graeci* cet., et II. 9, 36: *si via ulla nisi ab hac arte traditur aut argumentorum aut sententiarum aut denique discriptionis atque ordinis,* tum hoc loco, unde profecti sumus. Ubi cum *discribere* per imprudentiam mutatum esset in *describere,* quia librarii falso id acceperunt pro eo, quod est *definire,* emendandi causa scriptum illud est, quod in codd. recentioribus legitur: *acute describere.* Sed praestabit *apte discribere,* h. e. quae in iure sunt, ea disponere ita atque in certa genera cogere, ut suo quidque generi attribuatur omniaque convenienter digesta videantur; cf. I. 42, 190. Aliud est *describere* III. 20, 76: *illa vis autem eloquentiae tanta est, ut — mores, leges, iura describat, rem publicam regat, omniaque* (non *omnia, quae*), *ad quamcumque rem pertineant, ornate copioseque dicat,* h. e. ut — vi morum, legum, iuris interpretanda et explicanda ipsorum fines circumscribat eaque quodam modo constituat ac regat. Eadem vi verbum illud positum est Cat. m. 2, 5: *a qua* (natura) *non veri simile est, cum ceterae partes aetatis bene discriptae sint, extremum actum tamquam ab inerti poëta esse neglectum,* ubi nollem Baiterus ex Halmii coniectura contra codd. *discripta* posuisset; nec verius Seyffertum nuper Tusc. IV. 2, 3 scripsisse opinor: *Ex quo perspicuum est et cantus tum fuisse discriptos* (pro *descriptos*) *vocum sonis et carmina.*

II. 34, 145. *Huius quidem loci, quem modo sum exorsus, hic est finis, inquit Antonius: quoniam intellegeretur non in hominum innumerabilibus personis — omnia sita esse, quae in dubium vocarentur, genera autem esse definita non solum numero sed etiam paucitate; ut eam materiam orationis, quae cuiusque esset generis, studiosi qui essent dicendi, omnibus locis descriptam, instructam ornatamque comprehenderent.* — Sic legitur in codd. optimis, et recte quidem; nam patet Antonium summam (is enim *finis* est: Ergebniß, Resultat, sicut I. 42, 188) praecipiendi facere, quasi dixerit: *haec fere exposui,* quam ob rem ea, quae supra disputaverat, breviter complexus denuo proponit. Re vera autem eum illa, quae supra copiosius exposuit, respicere et ex eo intellegitur, quod scripsit: *genera autem esse definita* cet., et quod infra Imperfecto Coni. usus est: *ut — comprehenderent,* in quo Coniunctivo vis imperandi inest: daß sie — erfassen, sich aneignen sollten. Iure igitur *quoniam intellegeretur* scriptum est, quo indicatur Antonium stutuere iam tum, cum illa disputaret, ab audientibus ea intellecta esse, quamquam supra paulo aliter locutus est § 139: *Nam etsi incurrunt tempora et personae, tamen intellegendum est non ex iis, sed ex genere quaestionis pendere causas,* ubi, quod rhetores potissimum castigavit, recte dixit: *intellegendum est.* Quod si *intellegitur* scribatur, quod in codd. deterioribus est, non intellego equidem quo iure positum sit illud: *quae in dubium vocarentur.* Itaque non sine causa Imperf. retinendum est, quod qua ratione commendari posset Bakius se non videre professus est.

II. 35, 148. *Ut adversarium attente audiamus atque ut eius non solum sententias sed etiam verba omnia percipiamus.* Sic codd. optimi nec opus eo est, quod ex deterioribus fere receptum est: *excipiamus;* illud enim, cum sit idem quod *penitus cognoscere,* optime videtur huic loco convenire, quamquam ne alterum quidem, si melius testatum esset, displiceret; sed videtur hoc librario alicui elegantiae studioso deberi, qui, cum proxime antecedat *verba omnia,* hanc osten-

tandi ingenii occasionem adripuit. Quae paulo post leguntur § 149: *id tamen dissimulanter facere, ne sibi ille aliquid proficere videatur, prudentia est*, equidem non condemnaverim, nec mihi videtur aut a consuetudine Ciceronis aut a ratione huius loci abhorrere ut strictim aliqua cavendi admonitio interponatur. Ac profecto orator, cum adversarius attentus est et oratione quodam modo commovetur, gravibus argumentis usus esse et non nihil profecisse sibi videri potest, qua re non mediocriter ipsum incendi et animum eius cum magno adversarii incommodo augeri necesse est. Nam in hunc eadem cadunt, quae Cicero de vulgi adsensu ac de iudicum approbatione copiosius exposuit Brut. § 185—200. Ne illa quidem, quae sunt ibidem: *ut his rebus adhibeat tamquam lumen aliquod memoriam, ut vocem, ut viris* abicienda videntur, neque id premendum, quod his verbis ea continentur, quae ad actionem oratoris, non ad inventionem pertineant. Solet enim Cicero in illustrioribus et gravioribus locis omnia comprehendere, quaecumque rem, de qua disputat, quodam modo attingunt, quamvis non omnia ipsa sententia requirantur, quod quoniam multi parum attenderunt, non pauca ab eis condemnata sunt, quae vera esse videantur. Sed ille tamen locus, quem postremo tetigi, hac mihi emendatione egere videtur, ut scribatur, *ut vocem, ut viris intendat, diligentia est;* nam sic facile, quod sequuntur haec: *inter ingenium*, verba illa: *intendat, diligentia est* propter similitudinem primarum litterarum intercidere potuisse intellegitur. Denique § 150 legendum videtur: *qua una virtute virtutes reliquae continentur;* nam *omnes*, quod vulgatur ante *virtutes*, in nullo fere codice legitur, *virtute* autem ante idem vocabulum in Abr. et Erl. omissum esse non mirum est; cf. II. 77, 310: *una ex his tribus rebus res prae nobis est ferenda*, et quem locum supra ad II. 5, 21 attuli: II. 7, 26.

II. 36, 152. *Sed Aristoteles, is quem ego maxime admiror, posuit quosdam locos, ex quibus omnis argumenti via non modo ad philosophorum disputationem, sed etiam ad hanc orationem, qua in causis utimur, inveniretur.* Sic vulgo legitur, sed a codd. parum haec scriptura auctoritatis habet; nam ab Abr. et Erl. *via* omnino abest, in eis autem libris mutilis, qui aetate inferiores sunt, sed ex eodem fonte ducti, aut *via* aut *ratio* scriptum est, in recentioribus denique aut *ratio* additum aut pro *argumenti* positum *argumentatio*. Hinc patet, opinor, omnia illa inventa a librariis esse atque lacunam iam in archetypo omnium codicum fuisse. Neque eorum probari quicquam potest; ne illud quidem, quod plerisque placuit, *argumenti via*, defendi poterit, si quidem *argumentationis via* vel *ratio* aut saltem *argumentorum via* recte dicitur, non item illud, quoniam *argumentum* unus modo locus est argumentationis, qui viam aut progressionem nullam habeat. Itaque non iniuria Kayserus hanc scipturam deseruit, sed quod uno Lg. 2 commotus posuit: *omne argumentum*, num verum sit, cum ceteri libri omnes Genetivum tueantur, dubium maxime est. Ac mihi quidem, si quid in loco tam desperato suspicari liceat, exquisitius aliquid scriptum videtur fuisse, velut: *omnis argumenti usus*, h. e. omne argumentum, quo opus videretur esse et quo uti oratores possent. *Usus* autem vocabulum, cum parum dilucide in codice scriptum nec librariis facile ad intellegendum esset, fortasse ob eam ipsam causam omissum est. Similiter *usu* I. 14, 60 in codd. mutilis intercidit.

II. 37, 158. *Nam et omne, quod eloquimur sic, ut id aut esse dicamus aut non esse, et, si simpliciter dictum sit, suscipiunt dialectici, ut iudicent verumne sit an falsum, et, si coniuncte sit elatum et adiuncta sint alia, iudicant rectene adiuncta sint et verane sit summa uniuscuiusque et ad extremum ipsi se compungunt* cet. Hunc locum plerique corruptum esse indicaverunt et sane qui Ciceroni orationem non duram modo, sed paene inexplicabilem attribuere nolit, eis adsentiatur necesse est; nam quod Matthiae. eumque secutus Piderit. statuerunt primo *et* respondere *et ad extremum*, eademque ratione ea, quae media interposita sunt, inter se respon-

dere et priori tamquam generi partes subiecta esse, id et cum Ciceronis elegantia dicendi ac perspicuitate pugnat et, nisi fallor, vel eo refellitur, quod alteri *et* adiunctum est *ad extremum*, unde patet longiorem ordinem membrorum parium eis verbis concludi. Qua re multi primum *et* abiciendum censuerunt, et vero sic locus bene constitutus et expeditus videtur. Sed tamen credi vix potest in principio a quoquam illud additum esse; probabilius hoc, alterum *et*, quod est ante *si simpliciter dictum sit*, exstinguendum esse, cum facile uno *et* iam praegresso ab incauto librario inferciri potuerit. Ita haec: *Nam et omne — suscipiunt dialectici* cet. respondebunt eis, quae sunt: *et, si coniuncte sit elatum* cet., quibus recte subiciuntur: *et ad extremum* cet. Nam quod Antonius ab ea, quam principio instituit, dicendi ratione paulum deflexit, id ab interpositis illis: *si simpliciter dictum sit* excusationem certe habebit.

II. 40, 169. Quia in Abr. et Erl. legitur: *Sit Gracchus nefarie*, nescio an scribendum sit: *Si C. Gracch. nef.*, quamquam sequitur omisso praenomine: *praeclare Opimius;* nam *c* et *t* litteras in codd. saepissime confundi non est quod moneam. Sic praenomen additum erit distinguendi Cai a Tiberio Graccho causa, quae causa in Opimio nulla fuit, praesertim cum idem iam § 165 nominatus esset. Ac ceteri quoque Lgsiniani, qui sunt mutili, praenomen exhibent, quamquam in plerisque falso scriptum est *T.*, in uno Lg. 4 *C.*

II. 41, 174. In Abr. et Erl. leguntur haec: *Ut enim si aurum cui, quod esset multifariam defossum, commonstrare vellem, satis esse deberet, si signa et notas ostenderem locorum, quibus cognitis ipse sibi foderet et id, quod vellet, parvo labore, nullo errore, inveniret: sic has ego argumentorum novi notas quaerenti demonstrant ubi sint; reliqua cura et cogitatione eruuntur.* Verba extrema, cum aperte corrupta sint, viri docti variis coniecturis emendare conati sunt, quorum qui omisso *novi* pro *demonstrant* scripserunt *demonstravi*, parum reputaverunt ad *ubi sint* Subiecti loco *argumenta* requiri, non *notae*, quod tamen in scriptura illa e consuetudine Ciceronis requirendum est; ne *quaerenti* quidem cum *notas* apte coniungitur, quia *argumenta* potius, non *notae* argumentorum quaeruntur; denique Cicero certe *ubi essent* scripsisset, non *ubi sint*. Nec tamen haec eicienda esse, ut Kaysero visum est, recte Pideritius exposuit. Itaque statuendum erit in *novi* latere Praedicatum quoddam, cuius pars prior praegresso vocabulo absorpta sit, ac totam sententiam ex duobus constare enunciatis aut Copula aut Pronomine relat. inter se coniunctis. Idque iam pridem quibusdam visum est, quorum scripturam recentiores iniuria deseruisse mihi videntur; nam quod Müllerus e Pearcii potissimum coniectura posuit: *sic has ego argumentorum notavi notas, quae illa quaerenti demonstrant ubi sint*, id et ad sententiam aptissimum est et ad librorum vestigia proxime accedit. Hoc unum mutandum censeo, quod illi pro *novi* scripserunt *notavi*, quamquam hac emendatione vix ulla potest facilior inveniri; sed dubito num Ciceroni placuerit *notare notas*, et suspicor longius aliquod vocabulum ab eo scriptum fuisse, velut *enumeravi*, quod propter proximum *argumentorum* facile corrumpi potuit. Nam quod Klotzius invenit: *quas ego — evolvi notas*, id nescio an a Latinitate abhorreat, quia *evolvere* est *explicare*, quod de notis minus recte dici videtur. Tum *quae illa* interciderunt, quia oculi librarii similitudine litterarum decepti in proximum *quaerenti* aberraverunt, *illa* vero a Cicerone, ne ambiguitas oreretur orationis, omitti vix potuit; denique *quae* (scil. *notae*) *demonstrant* dictum est, sicuti poni solet *sententia declarat*, simill. Iam omnia optime inter se conveniunt, nisi quod in altera parte ea, quae superioribus respondeant, in brevius contracta sunt, sed ita tamen, ut nihil praetermissum videatur. Nec vero in hac expositione omnia tam accurate inter se responderent necesse fuit, ut *reliqua*, quia supra legitur *parvo labore*, mutaretur in *exigua*, quod Kaysero placuit.

II. 42, 180. Libri omnes haec habent: *Ac res quidem ista, quam ego, quia non noram, sic tamquam ignotum hominem praeteribam, tantum potest in dicendo, ut ad vincendum nulla plus possit*, e quibus illud, quod est: *quia non noram*, plerisque corruptum visum est, a Pideritio autem sic defensum, quasi Antonius sui purgandi causa rem in maius extulisset, cum hoc dumtaxat dicere vellet, se parum ad dispositionem argumentorum animum advertisse. At vero cum *nosse* lange aliud sit atque *animum attendere* aut *meminisse*, certe *quia* poni non licuit, sed addendum potius aliquid fuit, quo insolentia verbi illius quodam modo excusaretur. Sensit hoc Kayserus, cum scriberet *quasi non norim*, quod tamen cum ob eam causam displicet, quia proximis verbis idem fere dicitur, tum quod pro *norim* scribendum potius fuit *nossem*. *Properabam* autem, quod Kiesslingius, V. D., in Zeitschr. f. Gymnasialw. 1863, p. 789 coniecit, neque a litterarum similitudine neque ab eis, quae aut paulo ante aut proximis exponuntur verbis, satis commendari videtur. His enim tale quid requiritur, quo Antonius de ordine argumentorum non cogitasse dicatur, ut tamen *quia non memineram*, quod olim a Schützio inventum est, maxime probandum videatur, nisi forte Cicero scripsit: *quia non curaram*, h. e. id egeram, quo significaretur Antonium non tam illius rei oblitum esse, quam ut alienam ab hoc loco disputationis neglexisse, ac nescio an ea, quae proxime sequuntur, optime cum illo verbo conspirent, si quidem ignotos homines in ambulando non curare fere aut morari solemus.

II. 45, 188. *Tantum est flumen gravissimorum optimorumque verborum — ut mihi non solum tu incendere iudicem sed ipse ardere videaris.* Sic equidem scribendum existimo, ut pridem vulgabatur, quamquam ab Abr. et Erl. *ardere* abest; nam quod hodie ex non nullis Lgsinianis scribi coeptum est *incendi* aut *incensus esse videaris*, hoc sine dubio in iis e coniectura positum est, quoniam illi ex eodem fonte atque Abr. et Erl. ducti sunt; utrumque autem difficilius videtur ante *videaris* excidere potuisse quam *ardere*, atque *incendi* ne a sententia quidem satis probatur, si quidem eum, qui alios incensurus sit, iam antea incensum ipsum esse vel ardere necesse est; cf. II. 45, 190: *nulla mens est tam ad comprehendendam vim oratoris parata, quae possit incendi, nisi ipse inflammatus ad eam et ardens accesseris.* Sic enim scribendum, non *accesserit*, quia in Abr. legitur *accesserit. s.*, ut librarium pateat, cum falsum scripsisset, postea quam errorem animadverterit, veram scripturam iuxta falsam posuisse; cf. ad I. 11, 50. Eodem modo in non nullis aliis libris peccatum est, sed in Laudensi tamen verum videtur exstitisse *accesseris*, quod recte Ernestius ita defendit, ut diceret nec simpliciter *oratorem* dictum esse sed *vim oratoris*, et in ceteris verbis esse personam secundam: *videare, velis, ostenderis.* Cf. II. 59, 239, ubi nullam ex superioribus verbis causam alterius personae peti licet: *sed etiam, si perridicule possis, vitandum est oratori utrumque.*